



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 113. Michael Iselt, & Jacobus Viocius mortui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. CXIII.

Sæcul. XVI.
A.C.1597.

Michael Iselt, & Jacobus Viecius
mortui.

Ad eundem annum refertur obitus Michaelis ab Iselt Amerfortii in Ultra-
 jectina provincia nati, qui adhuc juvenis severioribus disciplinis aptus Lovanium mittebatur, ut ibidem ingenium suum literis excoleret, ubi primo quidem Philosophiæ, & postea Theologiæ egregiam navans operam sacrae militiæ nomen dabat, zeloque Apostolico animatus, cum ob exortos in patria tumultus Ecclesiæ Pastoribus suis non raro orbatæ essent, illorum loco populum sacris sermonibus, aliisque pastoralis ministerii muniis recreabat: increbrescente autem rebellium rabie, atque Amstelodamo, & Amerfortio in Calvinistarum, qui se *Geusios* appellitabant, potestatem redactis, Michael in exilium ab eis pulsus, Coloniam aufugere cogebatur, in qua urbe per plures annos ab omnibus, præcipue Senatoribus plurimi habitus cunctas solliciti Pastoris partes explebat: inde vero Noviomagum contendens, hac urbe rursus a Geusiis capta Hamburgum sese recepit, ubi Italis quibusdam mercatoribus concionando, atque Ecclesiæ Sacramenta administrando operam suam dicans ibidem die decima

Miræus l. c.
p. 218. & 229

Possev. in appar.

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

cima septima Octobris hoc anno animam Deo reddidit. Elucubravit præcipue Historiam belli Colonienſis quatuor libris comprehenſam, necnon rerum memorabilium in Belgio ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege, quam hiſtoriam ab anno Domini milleſimo quingentefimo ſexageſimo ſexto uſque ad hunc annum perduxit: edidit etiam vitam Cornelii Muſſi Biſuntini Epifcopi, cujus etiam ſermones italicos latine reddidit: denique præter alia opuscula poſteris reliquit librum, cui titulus *Paradiſus precum*, necnon tractatum de frequenti communione, atque exercitia in ſeptem meditationes matutinas. Alter hoc anno defunctus erat Jacobus Viecius natione Polonus patria Vangrovecenſis Societatis Jeſu Theologus, qui Græcis, atque Hebraicis literis probe excultus, tam in Polonia, quam Traſylvania calamo, & ore hæreticos impugnabat, hancque in rem tractatus edidit de Sacrificio Miſſæ, & de Purgatorio, necnon alium contra confeſſionem Sendomiriſem: inſuper vetus, novumque Teſtamentum mandante Gregorio XIII., & approbante Clemente VIII. in Polonicam linguam traduxit, de cujus verſionis utilitate jam alibi mentio occurrebat: tandem vero Cracoviæ hoc anno vivis ereptus eſt.

Vid. Lib.
CXXVII.
S. 96.

S. CXIV.